

Q.N.  
411.  
7.

X 1877100

Π i  
346

مقدمة خلاصة في معرفة اقسام اللغة  
الارمنية

*Sive*  
*DE*

# VERSIONE N. T. SYRIACA

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

*Quam*  
*D. F. G.*

Superiorum indultu

P R A E S E S

M. GEORGIUS Erdmann Voigt

CHEMNICENSIS MISNICUS,

&

R E S P O N D E N S

HEINRICUS von der Litz  
VERDENSIS,

*publica placideq; disquisitioni iερογλογοφίλων subjiciant,*  
*ad diem Jun. A. S. C. MDC LXX.*



J E N A E,

TYPIS SAMUELIS KREBSII.



*Faint handwritten text at the top of the page, possibly a library or collection mark.*

V E R S I O N E  
M. T. S Y R I A C A  
D I S S E R T A T I O P H I L O L O G I C A

SUBJECTORUM INDICIBUS  
P R E S S

M. G E O R G I U S M A N N S T A D T  
C H E M N I T Z E N S I S M I S S I O N I S

R E S T O R A T I O N I S  
H E I N R I C H S O N O P T I M O  
K E R D E N S I S

*Faint text, possibly a date or location, partially obscured by a horizontal line.*

T H I S B A N D L E T R A N S L I T

10  
*Other faint markings and text at the bottom of the page.*





כְּסֵפֶת הַיְהוּדִים וְלַאֲרָמִים

E I Σ O Δ O C.



**S**Acer DEI codex, quam in lingua sua primigenia ἀρχαία  
atque, quā credenda imprimis, satis perspicuus sit, liquidissimique instar fontis clarus: Nemo tamen, credo, Eruditorum inficiabitur, haut parum lucis ac claritatis eundem sibi ex variis, antiquis praefertim, versionibus in innumeris admodum locis foenerari. Hæ enim, licet non ejusdem cum dicto codice sacro sint auctoritatis, adeoque parem cum eodem vix mereantur fidem; Nihilo tamen minus sæpies inquirendo reperimus, nonnulla in iisdem clarius atque explicatius tradi, quæ in hoc obscurius paulò & concisius dicta esse videntur: Imo si quæ dubia occurrunt, ex probatis Versionibus analogiæ fidei convenienter sæpe & feliciter explicantur. Certè sunt istiusmodi Versiones ad instar Commentariorum, quæ de vero atque genuino divini verbi sensu vel ipsius Ecclesiæ nomine testantur, quippe à qua summo consensu receptæ sunt & approbatæ: Ast quemadmodum nemo negat, multum ad intelligentiam S. S. commentaria Virorum Doctorum conferre, quæ quisque etiam in obscuris ac intellectu difficilioribus locis tanquam oracula consulit; Ita qui diffiteri ullus poterit, antiquas Versiones, quæ non unius aliusvè hominis, sed totius Ecclesiæ interpretationem & judicium

dicium egregiè exhibent, multò majoris faciendas esse?  
Ut taceamus nunc argumenta alia atque exempla pæne  
multa ac manifesta, quæis fidem, si cui ambigua esset, cer-  
tam reddere consideremus. Omissis proinde V. T. Versio-  
nibus, præclarissimis licet, unicam eamque & antiquitate &  
præstantia nobilissimã Novi instrumenti Versionem, Syria-  
cam nempe, in scenam producimus, testemque asserti hujus  
luculentũ nominamus: Hanc enim Versionis non modò sed  
& multorum Commentariorũ vicem subire, liquido cuivis  
constabit, qui modò quamplurimas voces merè Syriacas ipsi  
Græco misceri, quin integrum textum purum putum Syria-  
smum redolere animadvertit. Quò de, ut verborum facia-  
mus compendium, juvat celebratissimi Philologi Ludovici  
de Diev. attulisse judicium, qui in præf. Harm. Lingg. Hebr.  
Chald. & Syr. ita differit: *Syriacam N. T. interpretationem  
quis satis evehat & commendet? antiquitate sua firmat  
textus Græci veritatem & locis quibuscunque difficillimis mi-  
rum quantum suã tum paraphrasi, tum metapbrasi lucem ad-  
dit. Omitto enim in ipso textu Græco esse quadam purè Sy-  
riaca &c. Et paulò post pergit: Sed majus est, quod ipsarum  
pbrasi, quæ passim in N. T. adhibentur, verus sensus vix  
aliunde, quam ex Syriaco, petendus sit. Pbrasi enim Evan-  
gelistarum & Apostolorum græcam esse, nemo Atticus dixerit.  
Facilius Europæis foret Platonis Aristotelisq; elegantiam imi-  
tari, quam Platoni Aristotelivè N. T. nobis interpretari; quid  
ita? quia sancti viri Syriacè conceperunt, quæ Græcè scripserunt,  
& lingua vernacula emphasin peregrinis verbis indiderunt, ut  
Scripturæ Propheticæ non res tantum, sed & Pbrasis virtus  
atque energia in N. T. exhiberentur. Gemina hisce Wid-  
manstadius infra laudandus in Præf. N. T. Syr. habet, cum  
ait: *Palæstinum illud dicendi genus in Sacris quacunque lingvã  
promulgatis implicatum insidet, ut Marcus Evangelista non  
magis**

magis latinè, vel Joannes & Lucas græcè scripsisse, quàm vel P. Terentius Afer Comœdias ad Punica, vel Judæus Philo scripta sua ad Ebraicæ dictionis normam direxisse videantur. Hæc igitur insigni, eaque vel sola Syræ Versionis hujus utilitate, quam in cognoscendis Scripturis N. T. non sane leviter præstat, ducti, arbitrati sumus nec operæ jacturam neque quicquam à studiis nostris aut præsentis loco alienum nos facturos esse, si hujusdem Versionis Historiam, h. e. ortum atque ad nostra tempora decursum, quantum quidem à Philologis traditum est, breviter atque pro ingenio, rudimè, recenseremus. Id verò ut feliciter nunc cedat, Tuum, æterne Deus, auxilium, atque dehinc Lectoris æquum animum exoptamus!

## CAPUT I.

de

# Nomine ac idiomate Versionis Syræ N. T.

§. I.

**U**T autem ab ipso ovo, quod dicitur, ordiamur, haut parum conducet, nonnullam ipsius Nominis curam hæc suscepisse, quippe quæ in naturam ipsius rei nos deducere, nec non in progressu multum adjuvare potest. Ante omnia igitur notandum de *Versione* tantum nunc nobis sermonem esse; Constat enim quam plurimos juxta & antiquissimos Patres, quos inter Papias, Jrenæus, Origenes, Evsebius, Hieronymus, Chrysostomus aliique plures, in ea totos esse sententia, Matthæum Evangelium suum, & Paulum ad Hebræos Epistolam, non Græco sed Hebraico vel Syriaco, Hebræis tunc vernaculo, idiomate, scripsisse; Ita n. ut ex multorum testimoniis unicum duntaxat adducam, D. Hieronymus in Catal. Script. Eccl. de Matthæo disertè ait: *Matthæus, qui Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judæa propter eos, qui in Circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis literis verbisq; composuit: quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis*



tertium est. Et de Epistola ad Hebræos porro addit: Scripserat (Paulus) ut Hebræus, Hebræis Hebraicè i. e. suo eloquio disertissime, ut ea, quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum &c. Cui non parum fidei addere videtur tum epigraphe tum & clausula Matthæo in Syra hac Versione in plerisque Editionibus

additæ: **אֱלֹהֵינוּ יֵשׁוּעַ מְרִיבָא דְּנַחְמֵנוּ**  
**בְּיָמֵינוּ** *Evangelium san-*

*ctum predicationis Matthæi, quod prædicavit Hebraicè in regione Palestine. Quam Controverfiam, ut præfenti loco minus convenientem, nostram minimè facimus; id v. tantum monemus, Syrum Matthæi Evangelium, ut & Syram Pauli ad Hebræos Epistolam, quæ hodiè superfunt & exhibentur, omnium consensu non pro avthenticis, sed ex iisdem translatis haberi, adeoque, licet vel maximè avtographa ipforum fuerint Syriaca, (quod tamen non asserimus) nos tamen non nisi de illorum Versionibus in præfenti loquimur, quippe quæ ab iisdem fortè dialecto etiam differrent, ut ex postea dicendis patebit.*

§. 2. *Syriaca* autem dicitur hæc Versio imprimis à Lingua vel idiomate, quò exarata extat. Discrepant verò Auctorum sententiæ de eo, unde Syria nominis sui appellationem sortita fuerit, dum quidam dictam eam esse volunt à Syro fraticida Rege quodam Mesopotamiæ, pro qua sententia faciunt illa in Codice Jacobi Usferii ad Gen. XXIV, 20. teste Hottingero Diff. III. Thes. 47.

reperta verba: **אֲרָמֵנוּ יֵשׁוּעַ מְרִיבָא דְּנַחְמֵנוּ**  
**בְּיָמֵינוּ** *Arameus Syrus est.*

*Syria de nomine Syri dicta est, qui interfecit fratrem suum, & regnavit in Mesopotamia, & vocata est omnis terra possessionis ejus Syria. Antea*

*voca-*



vocabantur Aramei, & cum demum regnaret eis Syrus, tum Syri dicti sunt. Alii vero inique maximi in Philologia nominis Viri, Borchartus scilicet, Waltonus & alii, contendunt, Syros à nominatissima eorum Urbe  $\tau\upsilon\sigma$  sive Tyro habere nomen, quod & primum vicinis Phœnicibus, postea reliquis quoque adjacentibus gentibus impositum fuerit. Quam ipsam litem aliis dirimendam nunc relinquimus.

§. 3. Quemadmodum autem Syria, provinciæ nomen, ex numero,  $\tau\omega\upsilon\ \pi\omicron\lambda\lambda\alpha\chi\omega\varsigma, \lambda\epsilon\gamma\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\upsilon$  est atque nunc latissimè accepta quamplures provincias, cis & trans Evphratem atque Tigrim sitas, adeoque etiam Assyriam, Mesopotamiam & Babyloniam ambitu suo comprehendit; At strictius sumpta tantum aliquas maritimæ mediterraneo contiguas regiones designat, quæ ab hodiernis Geographis fermè ad quinarium referuntur, & dicuntur Comagene, Antiochene, Cœle sive Cava, Phœnicia & Palæstina: Strictissimè denique unam vel alteram ex hisce nominatis provinciam duntaxat denotat, de quibus variis acceptionibus videantur præter Justin. l. 1. Epit. T. P. c. 2. & Strab. l. 2. §. 16. de S. O. Jo. Seldenus in de Diis Syris prol. c. 1. & Barth. Mayerus Philol. S. part. II. c. 1. seqq. Ita similiter Lingua Syriaca quæ ab hac provincia Syria, vel civibus eam inhabitantibus nominis sui habet appellationem, diversimodè quoque accipi solet, atque latissimè quidè, prout vel soli Hebrææ contradistincta prope dum omnes totius Orientis Lingvas comprehendit, ut ex Angelo Caninio docet B. Waltherus O. B. Repos. 1. Thec. 4. arc. 1. inquit: *Omnis lingua Orientalis est vel Hebræa, vel Aramæa seu Syriaca, quæ est vel Arabica vel Æthiopica vel Syriaca in specie dicta.* Frequentius tamen specialius & magis propriè pro ea accipitur lingua, quæ subinde in Sacris Aramæa vocari solet, atque sub se etiam Chaldaicâ & Assyriacâ includit, id quod clarissimè patet ex 2. Reg. XIX 26. Es. XXXVI. 11 ubi Assyrii cum ministris Hiskia Regis Hebraicè colloquentes jubentur  $\text{אַרְמִיָּה}$  Aramicè vel Syricè, utpote Assyriis & Chaldæis vernaculo, Judæis vero t. t. ignoto sermone sua proferre, ne à populo Judaico muris insistente intercipiatur & intelligatur: ut & ex Dan. II. 4. ubi Chaldæi Regem suum  $\text{אַרְמִיָּה}$  i. e. Syriacè allocuti fuisse dicuntur. Nonnunquam tamen per linguam Syriacam specialissime dialectus tantum Aramæa sive Syræ in genere

genere sic dictæ, intelligitur, ut postea quoquè dicetur. Curatè de posterioribus hisce acceptionibus Magnus Scaliger Filius disserit l. IV. Ep. 449. cum ait: *Lingua Syriaca tam pro genere usurpatur, quam pro specie. Nam Chaldaica & Syriaca unius Syriacæ lingvæ nomine comprehenduntur, ut apud Jctos adoptio comprehendit species arrogationem & adoptionem; cognatio agnationem & cognationem. Igitur lingua Syriaca non solum dicitur ea, quæ Syri, sed etiam quæ Chaldaei usi sunt, & in genere Judæis dicitur Aram. & c.*

§. 4. Quò vero rectius hæc intelligamus, simul & idioma, quò Versio hæce nostra conscripta sit, penitus cognoscamus, potissimas Lingvæ Syræ *Dialectos* hic enotabimus. Diversi verò diversimode easdem recensent. B. Waltherus, modò citatus, qui cum Caninio linguam Syriacam justo latius & improprie ferè accipit, eandem in tres dividit dialectos seu species, *Arabicam* nempe, *Aethiopicam* & *Syriacam in specie dictam*; atque hanc rursus in eam quæ *propriis*, & illam quæ *alienis* & Hebraicis utitur characteribus; posteriorem iterum facit duplicem, vel enim est *Assyriaca*; quæ vel *Chaldaica*, vel *Paraphrastica*: Aut *Talmudica* & *Rabbinica*. B. Mayerus §. anteced. itidem laudatus l. c. cap. 2. p. 40. & c. licet strictius & magis proprie linguam Syram sumat, quincuplicem nihilominus ejus constituit Dialectum: Primam vocat *Babylonicam puram*, quæ Daniel & Esra seripserint. Secundam *Babylonicam impuram*, quæ תרגומים Onkelosi & Jonathanis itemque in psalmos, proverbia & Jobum, licet Stylo adhuc impuriore, conscripti sint. Tertiam dicit *Hierosolymitanam*, in qua Targum Hierosolymitanum; quartam *Antiochenam* & *Maroniticam*, in qua hæc nostra Versio; & denique quintam *Talmudicam* & *impurissimam* in qua Talmud Hierosolymitanum, sint consignata. Illustris Scaliger §. proximo cit: circa finem commodè heic utitur dichotomia, cujus verba, cum pauca sint, non pigrabimur adscribere: *Summa*, inquit, καὶ ἀνακταὶ Φαλαίωσις: *Aramæe lingvæ duo præcipua sunt fastigia, Chaldaismus & Syriasmus; Chaldaismi duo sunt, Babyloniasmus & Judaismus. Rursus Judaismus vetustus, quò utuntur Jonathan & Onkelos; & recentior, qui vocatur Ierosolymitanus. Syriasmismi vero multa fuerunt propagines: Sed illa omnium nobilissima Syriaca dialectus, quæ Verus & Novum Instrumentum apud Maronitas*

&



Et Nestorianos conscriptum est, quæ & elegantissima & purissima. Tempore Christi ea in tractibus Antiochia, Coelesyria & Mesopotamiæ in usu erat. In Galilea alia dialectus erat, & in aliis partibus alia, quæ omnes uno nomine Aram comprehenduntur. Quòcum fermè, licet non in terminis, re tamen consentit Widmannskadius, Syrotargumicum, sive Syrum latè dictum sermonem dividens in *Babylonicum*: Et *Hierosolymitanum*. Illum duplicem itidem facit, *purior* unum & *superiorem*, Danieli & Esræ familiarem: alterum verò *impuriorem* & *recentiorem*. Hunc verò, nempe *Hierosolymitanum*, unum tantum facit, pro fortuna Judaicæ gentis Arabicis, Persicis, Græcis & Romanis vocibus permixtum. Quò de videatur ipse in Dedic. N. T. Syr. à se Viennæ editi.

§. 5. Sed facilior atque Auctoribus receptior Lingvæ Syriacæ latè dictæ divisio est, quâ in tres duntaxat dialectos dispe- scitur. Prima earum est *Chaldaica* sive *Babylonica*, à regione ejusque metropoli sic denominata, quæque omnium purissima atque à peregrinis lingvarum aliarum vocibus maximè defecata erat. Hanc Daniel cum sociennis quibusdam Hebræis jussu Nebucadnezaris, à quo t. t. captivi detinebantur, didicisse dicitur, Dan. I, 4. qui & eadem dialecto partem quandam Prophe- tiæ suæ conscripsit, à Cap. II, 4. scilicet, usque ad Cap. VIII. ut & Esras pocillator Regius partem libri sui à Cap. IV, 8. usque ad v. 27. Cap. VII. consignavit. Eadem dialecto quoque scripta sunt duo Targumim, Onkelosi in Legem & Jonathanis in Pro- phetas, itemque Talmud Babylonicum, quamvis styli puritate Danielis & Esræ scriptis nonnihil cedere rectè dicantur.

§. 6. Altera dialectus dicitur *Hierosolymitana* & *Judaica*, quòd Judæi reduces ex Chaldæa facti, avitiq̄ue sermonis prope obliti, eadem uterentur. Licet enim hanc ipsam lingvam Judæi à Chal- dæis, quæis per LXX. circiter annos immixti fuerant, didicissent, successu tamen temporis assumptione plurium vocabulorum Arabum, Græcorum, & Romanorum, quibuscum non raro con- versabantur, nec non Hebræorum quoque, quæ lingua inter do- ctos adhuc & Sacris Bibliis conservabatur, egregiam in Chal- dæam lingvam introduxerunt mutationem, adeoque peculia- rem Syræ vel Aramææ lingvæ dialectum constituere. Scripta  
B autem

autem hęc dialecto imprimis dicuntur Targum & Talmud Hierosolymitana, ita vel ab idiotismo, sive loco denominata, (*quorum stylus tantum ab Onkelosi & Jonathanis differre Waltonus App. p. 85. a. videtur, quantum Thomę, Scoti aliorumq; Scholasticorum à Ciceronis vel Senecę: vel Bartoli ac Baldi ab Ulpiani*) nec non Targum in Hagiographa, (exceptis tamen Libb. Paralipomenon, Danielis & Esrę) quod Josepho cęco ascribitur: item Targum Pseudo-Jonathanis in Legem; Et denique liber Zohar, atque quędam Medraschim, sive expositiones allegoricę. Cum autem Palęstina, cujus metropolis Hierosolyma erat, ampla esset regio, pluresque sub se contineret provincias, hinc hujus Hierosolymitanę dialecti haud omninõ eadem pronunciatio fuit, quõ de testari potest Petrus Apostolus Galilęus, ex lingua atque dialecto Galilęana apparitoribus summi Pontificis Caiphę tantum non cognitus ac manifestatus, Matth. XXVI, 73. Hęc ipso etiam idiomate Syriacę lingvę Christus & Apostoli usi sunt, quod clarẽ satis testantur plurimę dictiones in ipso gręco originali textu retentę; quę quidem Hebraicę ipsis Evangelistis audiunt, non tamen quod propriẽ tales sint, sed quod Hebręis vel Judęis tunc in usu fuerint. Vid. Mayerum, Waltonum supra cit. aliosque passim.

§. 7. Tertia denique lingvę Aramęę dialectus variis insignitur nominibus: Quibusdam enim κατ' ἐξοχλὴν audit *Lingva Syriaca*; aliis *Antiochena & Comagena* ab exterioribus scilicet Syrię provinciis, ubi cum primis in usu erat; *Maronitica* nonnullis à Maronitis Christianis in Syria habitantibus, quibus eadem vernacula; *Christiana* denique à Widmanstadio salutatur eõ, quod Christo in terris versanti fuerit vernacula; Fortẽ tamen rectiũs ideo, quod Antiocheni, qui eã utebantur, omnium primõ Christiani dicti fuerint, ut constat ex Act. XI, 26. Vel, quod etiamnum eorum usui, imprimis verõ liturgię sacre inserviat. Differt autem hęc ab aliis, modõ enumeratis, dialectis inter alia (de quibus Grammatici, nominatim Bonaventura Cornelius Bertram & Ludovicus de Dieu in Harmoniis, aliique consulantur,) etiam characteribus, quippe quos peculiare, ab Hebręis aut Chaldęis figurã distinctos, habet, qui ideo cum illis à Christianis

stianis Antiochenis commutati esse dicuntur, ne videlicet illi quicquam cum Nazaræis & Ebionitis hæreticis, qui Hebræis utebantur literis, commune haberent. Quibus alii etiam scriptio- nis modum addunt, ac si ideò non amplius à dextra ad sinistram cum Orientalibus, neque à sinistra dextram versus cum Occiden- talibus, sed transversum, per modum lineæ *ἰσοπέδου* scripse- rint. Videantur de hisce Gvido Fabritius Boderianus Gallus, in Præf. N. T. S. Operi Regio inserti; ut & Brianus Waltonus Anglus, tum in Dissertatione de Lingg. Orient. Operi Anglicano præmissa, tum in ipsius Operis Apparatu. Atq; hæc ultimò loco re- censita Lingvæ Syriacæ dialectus est, quâ Versio, de qua in præsen- ti loquimur, est consignata, quæ & ideò *Syriaca* meritò absolute audit, quod idioma ejus sive dialectus, quâ utitur, absolute atq; excellenter Syriaca dicatur.

## CAPUT II.

*de*

# Versiois Syræ Auctore & An- tiquitate.

§. I.

**M**ISSIS igitur iis, quæ circa nominis notitiam moneri pote- rant, vel certè debebant, ad ipsam rem nunc paulò propius accedemus, adque incunabula Versiois nostræ provoluti, *ortum* ejus primumvè *Auctorem*, (si quidem is ob sententiarum diversi- tatem indagari poterit,) iustrabimus. In tres autem potissimum Auctores heic abeunt partes, quarum una, uti perantiquam Sy- ram hanc facit Versioem, adeoque pro Auctore vel unum ex Evangelistis aut Apostolis laudat; Ita ex adverso altera eandem recentem nimis Auctorisque planè incerti constituit: Tertia verò media quasi viâ incedit, dum nequaquam Evangelistæ aut Apostolo quidem Versioem adscribit, interim tamen nec longè sequiori ætati eandem tribuit.

§. 2. *Prime* sententiæ ansam præbuit Gvilielmus Postellus, *Vir*, judiciò Widmanstadii, *supra ætatis suæ consuetudinem, supra etiam multorum captum mirabiliter eruditus, quiq; meliorem Asiæ*

B 2

*partem*



partem semel iterumq; Syriacæ & Arabica Lingg. cognoscendarum causâ peragravit, is Gvidoni Fabritio Boderiano ( ut hic ipse in præfat. N. T. Syr. narrat, ) significavit, Syros constanter asserere, S. Marcum, S. Petri Apostolorum Coryphæi discipulum, & in cujus domo initio coaluisse Ecclesiam credunt plurimi, latinè primùm scripsisse Evangelium suum, quod etiamnum asservari dicunt in inclytâ Venetorum urbe: Dein eundem ipsum Marcum linguâ Patria h. e. Galilea Syriavè transtulisse non modò Evangelium suum, sed etiam ceteros omnes N. T. libros. Atque idem affirmavit, se ita à Syris ipsis accepisse, remq; ita se habere ex auitâ traditione eos asserere. Gabriel verò Sionita Præf. in Psalmos Syr. alium hujus Versionis Auctorem laudat, ex Soadedo enim Episcopo quodam Hadethiensi, per antiquo apud Syros scriptore, ( teste Walton, ) refert, eorundem Syrorum sententiam esse, hanc Versionem, unâ cum V. T. Syra paraphrasi, tempore Abgari Regis Syriæ, curâ & solitudine Judæ Thaddæi Apostoli ( quem illi Addæum vocant ) aliorumque Apostolorum factam atque conscriptam esse.

§. 3. Quo minus verò primæ huic sententiæ alii fidem habeant, multa in contrarium urgere solent: Et primò quidem rectè omninò istud objiciunt, quod Marci ac Judæ temporibus, ne quidem omnes N. T. Libri extiterint, cum minimùm Joannes Evangelista & Apostolus post illorum mortem scripta sua promulgarit, quæ ergo in aliam linguâ ab his converti potuerunt ea, quæ nondum primigenia sua lingua exarata fuerunt? Dehinc stante illa Syrorum assertione, nemo non videt auctoritatem huic Versioni nonnisi divinam adscribendam esse, quippe à *Γεωργίου τοῦ Ἰσραήλ, τῷ πρῶτῳ ἀρχιεπισκόπῳ ἀρχιεπισκόπῳ Φεργουένοισ* Viris esset consignata, quod tamen neminem usq; adhuc asseruisse, neque sine absurditate asserere potuisse, liquidò cuivis constat. Accedit, quod Sancti isti Viri sine dubio eâ dialectò usi fuissent, quæ ipsis fuisset vernacula i. e. Judaica, ut ipse Postellus fatetur: At nostram Versionem aliò, & à Gallilæo seu Hierosolymitano idiomate prorsus diverso conscriptam esse, non solum supra cap. I. probavimus, sed & voces & phrasas à Christo & Apostolis usurpatæ atq; in authenticò Græco retentæ, liquidò evincunt. Neq; est, quod Syrorum unius vel alterius testimoniū heic objicias, nam præter ea, quod non omnes  
idem

idem fateantur, ut apertè testatur Moses Meridinaeus Syrus sacerdos, qui à Vergerio de Auctore hoc quæsitus, ingenuè respondit, eundem se ignorare, vid. Vergerius ipse lib. III. contra Cardin. Hosium: etiam effectum atque studiò auctoritatem huic Versioni conciliandi excogitatum testimonium hoc esse potest, adeoquæ sublestæ ancipitisvè fidei.

§. 4. Neque majorem omninò meretur fidem *altera* illa, novitatis Versionem nostram arguens, sententia, quæ absque eo, quod de Auctore prorsus desperat, etiam ortum ejus ad remotiora ab Apostolorum ætate secula refert. Nituntur verò qui sententiæ huic calculum apponunt, his imprimis rationibus (1.) quod voces nonnullæ Syriacæ, Evangelistis & Apostolis in authentico retentæ, haut parum literis & punctis differant ab iis, in hac nostra Paraphrasi quæ exhibentur, e. g. quod pro *μαρω-*

*μωνᾶ*, legatur *ܡܪܘܢܐ*, pro *γολγοθᾶ*, *ܩܠܘܬܐ*, pro

*ἡλὶ ἡλὶ λαμᾶ σαβαχθανὶ*, habeatur in Versione *ܘܠܐ ܘܠܐ*

*ܘܠܐ ܘܠܐ* Hinc arbitrantur illi, haut exi-

guam temporis intercapedinem statuendam esse, in qua tanta dialecti mutatio contingere potuerit. (2.) Rob. Bellarminus de V. D. Lib. II, c. 4. illud urget, quod nullus ex antiquis Patribus ejusdem meminerit, quos inter nominat Clementem Alexandrinū, Origenem, Eusebium, Athanasium, Theophilum, Epiphanium, Hieronymum, Cyrillum, Theodoritum, Joan. Damascenum, aliosquæ, qui omnes & singuli licet vel in Syria vel in Ægypto aut Episcopi, aut Presbyteri fuerint, & vel de variis Scripturarum editionibus accuratè disputarint, vel certè multa de scripturis sacris posteritati scripta reliquerint, ne gry tamen de hac Versione habeant, sed altum apud eosdem sit silentium. Hinc certò sibi perfvadet, Syriacam hanc Versionem ætate horum Patrum omnium posteriorem esse. (à qua Bellarmini sententia haut multum abludit ipse Waltherus in O. B. de Versione Syrica eadem propemodum Bellarmini verba referens, & plures alii.) Cùm autè pleriq; ex his Patribus quarto, Theodoritus quinto, quin Dama-



scenus octavo demùm vixerint seculo, facilè hinc patet, Syram  
Versionem, quæ Patrum horum ætati postponitur, tantæ vetu-  
statis, hâc quidem sententiâ stante, non esse, sed alias Versiones  
etiam ipsi anteponendas esse, quæ tamen communiter antiquis-  
sima N. T. audiat.

§. 5. Sed enimverò alii rationibus hisce minimè moven-  
tur, & ad *primam* quidem facilè respondent, frustra diversitatem  
vocum in N. T. Græco retentaram cum Versionis stylo adduci,  
quum diversitas Dialecti hanc inter & illas intercedat. Ut enim  
jam supra monitum fuit, Versio hæc idiotismo & literis Antio-  
chenis conscripta est, verba autem istiusmodi, Evangeli-  
stis usurpata, alia dialecto, Hierosolymitana scilicet, prolata  
sunt. Quemadmodum verò in aliis lingvis variæ dialecti maxi-  
mam pariunt diversitatem; ita non minus heic idem, sine ta-  
men temporis mutatione, accidere potuit, ut ea, quæ in diale-  
cto Judaica prolata essent, paulò aliter aliâ dialecto, Antioche-  
na scilicet, recenserentur, ut hinc adeò nulla temporum diver-  
sitas elici possit debeatvè. *Secundò* Bellarmino ejusq; asseclis re-  
spondet B. Waltonus (1.) quidem κατ' ἀνθρωπον, tam facilè eâ-  
dem ratione probari posse, neque Targumim sive Paraphrases  
Chaldaicas (intellige Onkelosi & Jonathanis, quos ille συγγε-  
γυς facit, contra passivam aliorum sententiam, qui Onkelosum  
cum Akila confundentes, eum Titi Imperatoris ex sorore nepotè  
fuisse, & sub Adriano demùm vixisse, asserunt) Apostolorum  
tempore extitisse, quod earum quoque apud Veteres scriptores  
Ecclesiasticos nulla fiat mentio, cum nec Origenes neque ipse  
etiam Hieronymus earum meminisset, quas tamen etiam ante  
Christi tempora conscriptas fuisse, inter Eruditos pro certissimo  
actantum non indubitato habeatur. Dehinc (2.) disertè negat  
nullum Scriptorum Veterum hujus Versionis meminisse, allegat  
iste (quod & Hottingerum in Anal. aliosque facere videas)  
quamplurima antiquorum Patrum, etiam eorum, quos Bellar-  
minus ipse pro sua sententia laudat, testimonia, Syram Versio-  
nem eorum ætate extitisse. His adde, quod S. Chrysostomus  
hom. I. in Joannem, seculi quarti scriptor, quem subdolè Bellar-  
minus omittit, disertis verbis fateatur, *Syros, Egyptios, Indos,*  
*Persas,*

*Persas, Æthiopes, aliasq; gentes innumeras dogmata divina in suam  
 linguam transtulisse. Cui & Theodoritus adstipulatur, lib. V. de  
 Curat. Græc. Aff. expressè asserens, Sacros Codices in omnes lin-  
 guas quibus ad hanc diem nationes utantur, suo awo conversos fuisse;*  
 quis ergò de Syris dubitare vellet, apud quos N. T. primùm con-  
 scriptum, primùm non sine pietatis laude receptum est? Neque  
 de nihilo (3.) est nonnullorum de illis Patribus iploque adeò  
 Hieronymo conjectura, eos videlicet Linguam Syriacam igno-  
 rasse, ideoque mirum non esse, quod de Versione Syriaca magis  
 quam pisces sileant. De Hieronymo istud probare Gennadius  
 Massiliensis Presbyter in de viris Illustribus Ecclesiasticis exinde  
 nititur, quod Jacobum Nisibenæ Persarum Civitatis Episcopum,  
 Magnumque Ephremum, Jacobi discipulum, Scriptores Syros,  
 Archalai item Bardefanisque opera Syriaca, t. t. nondum versa,  
 in Catalogo suo prætermiserit. Eleganter de hac Bellarmini  
 assertione Cl. Crinesius in Disc. de Lingg. Confus. c. 12. q. 3. p. 133.  
 disserit, cujus verba, non possum non adscribere: *Multiplicem, in-  
 quit, ἀσυνλογίαν hoc pronunciato committunt: Qualis enim  
 queso est illa consequentia: Hoc non describitur, ergo nusquam est:  
 Num scriptores illos Ecclesiasticos efficiamus πανεπισήμονας? Numne  
 necessum est, ut omnia qua usquam extant, illicò etiam literis commen-  
 dentur? Annùm quid aliquandiu latitare & hinc paucis notum  
 esse potest, antequam solenniter publicetur? Tandem notum est το-  
 λυθεύλητον axioma Philosophorum: Argumenta ab auctoritate  
 humana, etiam affirmativè desumpta, non esse καὶ πάντως vera, qualis  
 igitur tandem πίστις erit negativorum? MeChristè nulla. Ut adeò  
 quod Bellarminus de Versione hac certò sibi persuadet esse verum,  
 id nobis cum Jo. Rainoldo Anglo Tom. 2. de Libb. Apocr. præf.  
 187. certò persuadeamus esse falsum.*

S. 6. Probabilior denique veroque magis similior videtur  
 esse Tertia de argumento hoc sententia plurimorum & Clarissi-  
 morum Philogorum, Widmanstadii scilicet, Tremellii, Trostii  
 in Præfationibus N. T. S. ab ipsis editi; Gesneri in Mithrid.  
 Hottingeri in Fasciculo Diff. Th. Philol. & Anal: Waltoni in Ap-  
 paratu Operis sui Polyglotti & Prodromo ejusdem: Franzii in  
 de Interp. Script. aliorumque, quæ asserit, Versionis hujus Au-  
 ctorem

Storem in individuo quidem, ob historiae indubitatae defectum, determinari non posse: Admodum autem probabile esse, eandem, licet non ab ipsis Apostolis aut Evangelistis, eorundem tamen discipulis aut successoribus (quos *Viros Apostolicos* vocant) non adeò multò, post Apostolorum obitum, tempore confectam fuisse; Et quia tum in tractibus Antiochiae idem linguae genus, ac Versionis est, obtinuit, haut sine probabilitate Bonaventura Cornelius Bertramus Praef. in Compar. Lingg. Ebr. & Aram. itemque Alstedius l. 2. praecog. Theol. c. 113. conjiciunt, Antiochenis, ob miram in doctrina Evangelica docilitatem primum Christianis dictis, sive Ecclesiae Antiochenae primum nascenti, ortum Versionis hujus acceptum ferendum esse. Pro statumina autem hac sententia facit (1.) Generalis & non interrupta Ecclesiae Orientalis traditio, Versionem hanc Apostolorum temporibus vicinissimam esse adeoq; purissimam ceterisque anteponendam. Hinc non antiquis solum, sed & nostris temporibus illi Orientis populi (quorum prolixum Catalogum Brerewoodus, & ex eo Waltonus, exhibent) studiosissime eandem conservant, textus sacros ex eadem prelegunt, ad sacras Liturgias adhibent, cultumque divinum peragunt, etiam iis in locis, ubi Syriaca lingua amplius vernacula non est; nullam sanè aliam ob causam, quam propter avitam illam de vetustate hujus Versionis traditionem, cui *multum in hoc tribuendum esse, cum nulla ratio clara in contrarium affertur*, Waltonus censet. Certè Widmanstadius, sine omni dubio ex relatione Mosis Meridinaei aut aliorum Syrorum, à quibus Syras primum literas edoctus est, intrepidè hanc sententiam confirmat, dum in fine Evangelii S. Joannis addit: *Finis Sacrosancti Evangelii à Johanne Apostolo & Evangelista sermone graeco ad Ephesum, alterum lumen Asiae olim appellatam, scripti: ac illa mox etate, ut eò Syri etiam fruereutur, in patriam linguam ejus gentis transfusi.* (2.) Maximè probabile est primis statim temporibus Syris Christianis hac Versione prospicere voluisse ejus Auctores, eamque in vernaculam suam linguam transtulisse, graecum enim sermonem, quò Scriptura N. T. exarata ab ipsis Apostolis erat, multi, minimè vulgus, ignorabant, legere ergò vel salutariter illa Scripturam uti nequibant, nisi in propria ipsisque vernacu-



nacula lingua conversam habuissent. Placent de argumento hoc  
 verba Tremellii in præf. N. T. S. ab ipso editi dicentis: *Sed quò  
 vel quibus Auctōrib9, quò item tempore conscripta sit hæc Versio, quum  
 id nusquam inquirentibus nobis adhuc occurrerit, non magis desiniri  
 potest in præsentia, quàm Græca V. T. & Vetus Latina, quibus Au-  
 ctōrib9 verè sit adscribenda. Interim veritati prorsus est consenta-  
 neum intra ipsa Ecclesie Christi initia eam consecratam esse, nisi forte  
 suspicari malumus, eos scribendo alienigenarū duntaxat rationem ha-  
 bere voluisse, suorum autem gentilium aut nullam, aut certè perexi-  
 guam.* (3.) Neque reijculum est testimonium antiquissimorum Pa-  
 trum, qui frequenter τῆς Συρίης seu Versionis Syriacæ mentionem  
 injiciunt, quod §. præced. jamtum tetigimus. Adde quod Ja-  
 cobus & Ephremus Syri, quorum ille Concilio Nicæno seculo  
 quarto ineunte interfuit, commentaria in universam Scriptu-  
 ram Syriacè ediderint, sine dubio, quod diu ante eadem intelli-  
 gibili lingua ipsa Scriptura extaret. vid. Hotting. in Anal. p. 105.  
 & in fasc. Disp. p. 174. ubi pro antiquitate hoc etiam urget, quod  
 Arabica multæ antiquitatis Versio ex Syra hac potissimum con-  
 cinnata sit. (4.) Magnæ antiquitatis argumentum esse Walto-  
 no, sapiens nunc laudato, videtur, quod in antiquissimis Exem-  
 plaribus MSS. plures libri librorumque partes desint, Epistola  
 scilicet Judæ, 2. Petri; 2. & 3. Joannis, ejusdem Apocalypsis,  
 Historia adulteræ Joh. 8. & ex 1. Joh. V, versus 7. *atque hinc colligi  
 posse, factam hanc Versionem esse antequam Canon librorum N. T.  
 communi Ecclesiarum consensu confirmatus esset, cum de hisce libris  
 certum sit, apud antiquos dubitatum esse.* (5.) Denique Versionem  
 hanc non χῆς ἢ πῆς demùm ortam esse, multa MSS. longè  
 antiquissima testatum faciunt. Ruthgerus Spey Bopardianus  
 MS. Heidelbergense, quo Tremellius imprimis usus est, ante non-  
 gentos circiter annos scriptum esse testatur. Similiter in Floren-  
 tina Bibliotheca exemplaria N. T. Syriaca supra millenos ab-  
 hinc annos conscripta extare, à Doctissimo Viro Waltonò signi-  
 ficatum est. Idem refert Doctifs. Langium Danum, cùm cata-  
 logum libb. MSS. Orientalium hujus Bibliothecæ conficeret,  
 inter alia annotasse, haberi ibidem Evangelia Syriaca A. C. 727.  
 conscripta, nec non alia Anno 586. consignata. Quæ pleno quasi  
 ore de vetustate hujus Versionis testantur.

C

CAPIT



## CAPUT III.

de

## Versionis hujus X. Editionibus.

§. 1.

Quamquam verò, ut ex modò dictis *ἔυδηλον* est, sic satis antiqua sit hæc Versio, multosvè annos quin secula ab ortu suo possit numerare, attamen Europa nostra nobilissimo hocce Orientis cimeliò diu nimis caruit, vel certè si habuit, ex inscitia præstantiæ ejus, non attendit, sed in Bibliothecis cum tineis ac blattis illud colluctari passa est. Nota enim est, quæ superiora secula infamaverit, lingvarum orientalium ignoratio, cum Monachi *κακὰ ἤμερα, γαστέρες δεγαί* Literaturam tan'ùm non omnem exulare jusserant, spinosis ac multa barbarie squalentibus Scholasticorum doctrinis unicè intenti. Certè de Syriaca lingua disertè id confirmat Pontificius ipse Widmanstadius in Epist. dedic. Elem. Syr. inquires: *Quamquam in Annalibus Vaticanis annotatum sit, Innocentio III. P. M. Patriarcham Maronitarum, ut Ecclesie sue ritus ad Latine Ecclesie imaginem omninò conformaret, Romam venisse: Tamen ea etate nostrorum hominum nullus extitit, qui hanc linguam vel cogitatione complecteretur.* Et post pauca: *Superioribus verò seculis characterum etiam, nedum lingua, tanta fuit in Ecclesie Latine provinciis obscuritas & ignorantio, ut in Magorum tantum Libris, quales Job. Torresii Hispani, & Bellisarii Petrucii Bibliothecis Magicis vidi atque inde à Cornelio Agrippa in librum de occulta Philosophia transcripti sunt, impia fanaticorum hominum sedulitate deformati, ac Veterum figurarum tenuia quedam vestigia vix tenentes, extarent.* Adeò scilicet profligata hæc Syriaca lingua, atque cum ea omnes bonæ ac ingenuæ artes ac linguæ exules factæ erant. Donec tandem, immensa summi Numinis gratiâ, superiore demùm seculo cum vera & orthodoxa religione etiam fulcra & destinæ ejus, Artes ingenuas & linguas varias intellige, reduces factæ, Europam atque adeò Germaniam nostram rursus ita inviserunt, ut nunc nulla terra magis de acceptis istiusmodi hospitibus sibi possit gratulari.

§. 2. Quod ipsum, nisi instituti ratio frænum injiceret,  
perfa-

perfacilè enumeratione, quotquot abhinc vixerunt, illustrium Philologorum, ostendere possem. Tantùm quì Lingva Syriaca atque cum hac Versio nostra promulgata sit atque è tenebris in lucem protracta, paucis attigisse dividia haut erit. Id verò fusè commemorat Jo. Albertus Widmanstadius, Ferdinandi I. eò tempore Romani Imperatoris designati provinciarum Orientalis Austriae Cancellarius, felicissimus primusque Versionis nostrae Editor, in praefatione vel dedicatione ejusdem, ad modò nominatum Ferdinandum, quod brevibus tantùm heic repetemus. Dicit verò ille initio superioris seculi ad Concilium, quod Leo X. P. M. ad Lateranum tùm habebat, ex Syria Legatos venisse Acurium Josephum Sacerdotem, Mosen Monachum Diaconum & Heliam Hypodiaconum, hancque occasione Thesium Ambrosium Albonesi Regulum. Cum lingvam Syriacam primùm addidicisse, qui postea monasticam vitam agens tantùm profecerit, ut ipsi Syri ingenium ejus fuerint admirati. In hunc verò Thesium jam tùm senem Anno ejus seculi XXIX. fortè fortuna cœnobium ejus, quod Bononiae erat, ingressum, atque de rarioribus libris sciscitantem, se incidisse, tumque ilicò senem, videntem fors suam eruditionem atque promptitudinem, è Pluteo Evangelia Syriaca, omnesque quos à Syris illis accepisset thesauros, protulisse, sibi que tradidisse, eam tamen cum obtestatione, ut diligenter studio huic incumberet, neque Ecclesiam ingenti hoc beneficio, quod in eam ex hac lingua & Versione redundaturum sciret, defraudaret. Quibus ita acceptis fidem suam Thesero Widmanstadius dedit atque institutione Simeonis cujusdam Syrorum Episcopi multùm profecit.

§. 3. Cum dein quarto post anno in Bibliotheca Lactantii Ptolomæi itidem quatuor Evangelistarum libros Syros unà cum Ephremi & Jacobi Syrorum opusculis deprehendisset, incitator factus Widmanstadius, ut Theseri piis desideriiis faceret satis, sollicitè publicam libri hujus editionem meditatus est. Cumque res operarum impensarumque multarum esset, opem aliquot Pontificum, Clementis VII. & Marcelli, ad negotium hoc conficiendum imploravit, quam etiam impetrasset, nisi tunc variis, ut ipse ait, diaboli insidiis impeditus fuisset. Denuo igitur id ipsum post decursum aliquot annorum tentavit, atque ideò vel

maximè Magistratu, quem in Ottonis Rom. Eccl. Senatoris ditionibus gerebat, ultrò sese abdicavit, quò studiosius operi huic incumbere posset: Ast & hâc vice conatus irritus fuit, cum per funestum, Germaniam tunc vastans bellum, exul factus, tantùm non omnia sua bona amiserit. Tandem Ferdinandi Cancellarius constitutus, eodemque necessaria auxilia promittente, inter gravissima licet negotia idem saxum volvere cœpit, in consortium affecit Georgio Giengero & Jacobo Jona Jctis ejusdemque Ferdinandi Consiliariis: *Et cum jam* (sunt ipsa ejus verba) *in ea verferemur cum, ex improvviso mihi à conventu Principum, qui Helio-prunæ agebatur, revertenti, Moses Meredineus ex Mesopotamia Catholicus sacerdos in Rhetia Ripensi occurrit: qui, ut in Pontificio diplomate, literisq, amicorum sibi ad me datis patet, ab Ignatio Patriarcha Antiocheno cum ob alias gravissimas causas, tum ut Novi Testamenti volumen prelo excusorio multiplicatum in Syriam reportaret, Romam missus orator fuit, quò Ignatius ipse, tanquam Pastor prudens & attentus sacrorum librorum inopiam, ex qua Christiani Syri, multorum annorum memoriâ, majorem in modum laborassent, Latina Ecclesie beneficio sustentare posset. Et cum nec Romæ neq, Venetiis, quamvis Amplissimorum hominum favore & gratia niteretur, quenquam reperisset, qui magnum hoc & difficile opus attentare vellet: Tandem nonnullorum, qui eadem ferè sollicitudine urgeri me norant, consilia sequutus, ad me contendit atq, in itinere, quod ipse ex Italia in Sveviam; (unde me armis civilibus pulsum fuisse adhuc ignorabat) ego ex Svevia in Pannoniam habebamus, sive casu id accidit, sive divina aliqua commonstratione, offendit. Eum igitur ceu divinitus mihi oblatum huc adduxi. Atque dum necessaria omnia apparantur, insperantibus etiam nobis intervenit Gvilielmus Postellus, vir supra ætatis nostræ consuetudinem, supra etiam multorum captum mirabiliter eruditus, qui parte Asiæ meliore semel iterumq, peragratâ, magnas & Syriacæ & Arabicæ lingvæ opeis consecutus, minimè vulgare nobis attulit adjumentum. &c. Hactenus Widmanstadius.*

§. 4. Prodiit igitur omnium I. Versio nostra Syra tantorum Virorum studio, impensis verò Ferdinandi I. Viennæ Austriæ Literis Syris nitidissimis Anno superioris seculi 55. (non 56. vel 62., quem quosdam nominare videas) Edita verò est absque latina Versione, desunt quoque illi Libri & librorum partes quorum

ib

in fine cap. II. fecimus mentionem, eò, quod in MS. etiam Mosis Meredinæi non haberentur, quos tamen apud Syros extantes unâ cum Versione V. T. aliisque libris idem Moses reversurus appor-  
tate promisit Widmanstadio, hic etiam hujus versionis transla-  
tionem in Characteres Hebraicos pollicitus est, quò minus verò  
utrumque factum fuerit, aut negotia aut præmatura mors obi-  
cem posuere. Adjecti sunt in fine hujus editionis etiam Tituli  
Lectio-  
num Evangelicarum in Dominicos & Festos dies anniver-  
sarios, ut quidem Ecclesia Syriaca iis tunc utebatur; in quibus  
cum de quibusdam ritibus Pontificiis, utpote jejunio, chrismate,  
dedicatione templorum, cultu item Sanctorum aliisque mentio  
fiat, vel eo nomine maximè sibi gratulantur Papicolæ, quòd ar-  
bitrentur, se cum hæc Versione reperisse non quod pueri in faba,  
quod Protestantibus objiciant, utpote penes quos ejusmodi super-  
stitiosa dudum rejecta sunt atque explosa. Hinc ipse Bellarminus  
Religionis Pontificiæ tibicen ac propugnator acerrimus Lib. II.  
de V. D. c. 4. de Syra Versione atque Titulis hisce impudentissi-  
mè scribit: *Unum est, præter alia, ejus editionis commodum insigne,  
quod cum in titulis ac sectionibus capitum mentio fiat jejuniorum, ve-  
nerationis crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoria sancto-  
rum aliorumque, ejusmodi rerum, quas Lutherani tanquam Romani  
Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacii hæc ipsa editio  
Lutheranos convincit.* Sed quàm frivole atque sine omni idoneo  
fundamento hæc Bellarminus effutierit, cum B. Waltherus,  
Theologus de Ecclesia Christi meritissimus in Off. Bibl. & Hot-  
tingerus Cent. Theol. p. 196. aliique multis invictissimis argu-  
mentis prolixè ostenderint, malumus Lectorem eò ablegare po-  
tius, quàm verba eorum huc transcribendo prolixiores esse. Id  
tamen monemus Gvidonem Fabritium, Pontificium ipsum, fateri  
Præf. N. T. S. *interjectis seculis nonnullis ab Alexandrinis Patriarchis  
capita sectionibus quibusdam distincta, eosque titulos, qui nunc in ipsis  
leguntur, additos fuisse.* Transigat Bellarminus ante cum hoc suo  
socienno, quàm ex hac causa bellum nobis moveat.

§. 5- II. Sacer hicce Codex luci commissus est Heidelbergæ  
ab Immanuele Tremellio, Theologo & Professore ibidem cele-  
berrimo A. C. 1568. vel 69. (illum enim numerum dedicatio ad Eli-  
sabetham Angliæ Reginam, hunc ipse Titulus in fronte gerit.)

Prodiit autem ex officina Henrici Stephani, celebris doctissimiq;  
typographi, literis tantum Ebraicis ad duorum imprimis Codi-  
cum exemplar expressus, quorum unus MS. literis quidem Syria-  
cis extabat in instructissima Friderici III. Electoris Palatini Bib-  
liotheca: (cujus translatione Vaticana hoc nostro seculo mirum  
quantum illustrata, atque Germania vicissim præstantissimo the-  
sauro nobilium ac pretiosissimorum MSS. orbata esse dicitur.) Al-  
ter codex erat Widmanstadii, ante aliquot annos Viennæ editus.  
Additam autem habet hæc editio Versionem latinam, quâ de ec-  
cujâs esset, lis inter Reformatæ & Pontificiæ religionis Dd. exor-  
ta est, illis quidem pro Tremellio suo pugnantibus, his verò ean-  
dam Gvidoni Fabritio suæ religionis homini adscribentibus.  
Certè Gilbertus Genebrardus non veretur Tremellio plagii com-  
missi notam innuere, cum *laudem translationis hujus suffuratum  
eum fuisse, adeoq; Versionem surripuisse proq; sua venditasse*, aperte  
scribit. Contra ea Tremellius in Præfat. ingenuè ita scribit: *Præ-  
terea ex Syriacis in suo genere elegantissimis, latina forsitan non opti-  
ma, sed tamen tolerabilia effecimus, & ejusmodi, quæ efficacitatem Syria-  
cam, quantum ejus fieri potest, representent & exprimant. Malim enim  
in hoc genere servus videri timidiusculus, qui nusquam à Domini ve-  
stigiis audeat discedere, quam licenter vagando disertis interpretis lau-  
dem (si id vel maxime possim) aucupari.* Et sanè quo minus nos  
Genebrardo calculum adjiciamus, atque Tremellium suâ laude  
defraudemus, id cum primis facit, quod hujus Editio Gvidonis  
tres minimùm annos antecedit, qui ergò hæc uti potuit Tremel-  
lius? Hanc & plures pro Tremellio facientes rationes adductas  
vide ap. Joh. Rainold Tom. I. de libris Apocr. Præl. CXVI. p. 1464.  
§. 6. III. Aliquot annis interjectis, An. 71. ejus seculi, cum Opus  
alterum Polyglottum, (primum enim Compluti in Hispania  
tribus tomis, lingvis vero quatuor Hebraica, Chaldaica, Græca,  
& Latina Anno 1520. editum erat) Regium à Philippo II. Hispa-  
niarum Rege sumtus; faciente appellatum, Antverpiæ Operâ  
imprimis Ariæ Montani, cui injunctum erat, prodiret, quod octo  
Tomis comprehenditur, quorum priores quatuor N. T. Ebræum  
cum paraphrasibus Chaldaica, Græca & Latina exhibent, Tomo  
quinto N. T. Græco etiam Syriaca versio literis Syris & Ebraicis  
unâ cum latina translatione addita fuit. Malè autem de editione  
hac

hac Versionis Syrae Ant. Possevinus App. Sac. Tom. II. p. 452. dicit, eam *Interprete Aria Montano prodiisse, atq; à Christophoro Plantino latinè redditam fuisse, cum ipse Arias in Praef. Tom. I. istius Operis aper- tissimis verbis operam hanc omnem, quanta quanta praestita fuerit, Gvidoni Fabritio Boderiano adscribat, quem vel ideò insigniter lau- dat, eòque confirmat, quod ipse Gvido de labore suo, negotio huic impenso, differit in Praef. Tom. V. cum ait: Hoc in studio (Versionis puta) incredibilibus exantlatis laboribus, adeò ut bis in morbum summo cum vita discrimine inciderim, tandem divini Numinis gratia & auxilio octodecim mensium spatio, N. T. characteres Syriacos in characteres Hebraicos & sermonis Syriaci in sermonem latinum conversionem ante annos tres absolvi. Adde quod Possevinus ipse Tom. I. p. 695. sibi contradi- cat, cum de Gvidone hæc tradit: Gvido Fabritius Boderianus, qui N. T. contextum Syriacum vertit in linguam latinam, is autem Regia Bib- liorum editioni Antverpiensi fuit adtextus. &c. Adhibuit autem Gvido præter alia MSS. & Widmanstadii editionem, etiam illud MS., quod à Postello ex Oriente allatum, atque Anno circiter 1500. Regni Ale- xandrini, à quo Syri annos computare solent, conscriptum erat.*

§. 7. IV. Anno 1575. idem Plantinus, Regius Antverpiæ Typo- graphus, qui ipsum Opus Regium, de quo nunc disseruimus, impres- ferat, denuò Versionem Syriacam, sed literis tantum Hebraeis for- maque minuscula, forte ut & ad pauperiores, qui magnum illud opus redimere nequibant, imprimi curavit.

§. 8. V. Eundè fermè in modum Parisiis A. 1584. Versio hæc edita est, cujus editionis Titulū recenset Franzius in Tractatu de Interp. Script. p. 48. Omnes verò adhuc recensitæ editiones istis defectibus labo- rant, quos in prima Viennensi annotavimus, quòd nullus antiquo- rum Codicum, ex quibus prodiere, quicquam de iisdem habuerit.

§. 9. VI. Sub ipsis autem hujus nostri seculi auspiciis Versio Syriaca edita est literis Hebraicis ab Elia Hüttero Noribergensi in N. T. suo δωδεκαλόγῳ, duobus Tomis comprehenso, qui defectum istum quidem supplevit, sed suo ex ingenio. Verùm non adeò magni inter Eruditos illud opus, laboriosissimum licet, æsti- mari solet, neque à Philologis communiter in catalogum Bibliorum Polyglot- torum refertur quod vel ipse multa pro arbitrato suo reddiderit, vel quod occi- dentaliores duntaxat linguas exhibuerit.

§. 10. VII. Aliquando post An. scilicet n. longè elegantior seorsim Cothenis Anhaltinorum prodiit per Martinum Trostium, Philologum Clarissimum, li- teris Syriacis elegantissimis juxta & Versione latina atque Lectionibus varian- tibus, tum ex impressis, tum & MSS. Codd. collectis: Sed tamen heic quoque su- pra nominatæ partes, Historia scilicet adulteræ Joh. 8. cum Epistolis Judæ & Pe- tr̃i

AK II 346

tri 2. & 3. Joannis, v. 7. 1. Ep. atque Apocalypsi desiderantur. Hic verò defectus  
mox per Ludovicum de Diev atque Pocockium, duo inter Philologos xvi no-  
stri splendidissima sidera, refarcitus est, dum ille quidem anno 27. Apocalypsin  
è MS. quodam Scaligeriano in Bibliotheca, quam Academiae Leidensi per testa-  
mentum reliquit, reperto, luci commisit; alter verò Epistolas ex Bibliotheca  
Bodlejana an. 30. ex aliis MSS. adjecit.

§. 11. VIII. Integra igitur numerisque omnibus absoluta Versio hæc primùm  
in Heptaplis Parisiensibus exhibetur, quod opus impensis Michaëlis de Jay de-  
cem Tomis Anno N.S. 45. Parisiis editum est, splendidissimum certè, adeoque  
carissimum, cui præter lingvas, quæ in Regio exhibentur, duæ adhuc additæ  
sunt, Samaritana nimirum & Arabica. vid. Hotting. Anal. Diff. de Heptaplis Pa-  
risiensibus.

§. 12. IX. Idem haud infeliciter imitati sunt Angli deprædicatissimo suo ope-  
re Polyglotto, cui Brianus Waltonus S. T. D. Cantabrigiensis imprimis præfuit,  
quod ipsum licet externo splendore Parisiense non adæquet, (quamvis etiam  
splendore ac elegantiâ insigni coruscat) illud tamè in aliis multis parasangis ex-  
cedit: Præter enim instructissimum apparatus, quò Parisiense diffidiò eden-  
tium defraudatum est, etiam duabus adhuc lingvis auctum est, Æthiopica scili-  
cet & Persica, atque longè correctius emendatiusque, ac illud, prodiit. Editum  
vero est An. N.S. 57. sex Tomis, eique ex præstantissimis MSS. etiam Versio Syriaca,  
illustri gemmula, inserta est. Videatur de hoc ex instituto B. Waltonus ipse  
in Dissertatione de Lingg. Orientalibus operi ipsi præmissa.

§. 13. X. Denique septem ab hinc annos Anno scilicet 63. Ægidius Gutbirius  
Theologiae D. & Prof. Hamburgensis, pio quodam animo advertens neutrum ex  
modò laudatis Operibus à quovis redimi posse, insuper verò Versionis hujus  
Syriacæ insignem utilitatem, imò necessitatem secum perpendens, novam eam-  
que in forma minore Editionem meditatus est, quam etiam suis sumptibus pro-  
curavit, addita clave, Lexicon Syri & Latinum, ut & notas Criticas seu variantes  
Lectiones continente, quo nomine immortales ipsi laudes ab Orbe Literario de-  
bentur. Addidisset & Grammaticam, modò immatura morte non fuisset abreptus.

§. 14. Tandem Pocockiani Codicis 4. Evangeliorum Syriacorum, de quibus  
ipse in Præf. Epistolarum à se editarum fatetur, illa *diversa à jam editis esse, Grae-  
cumq; magis natà τὸ δὲ sequi*, editionem jam Anglos meditari, nuper Amplissimo  
atq; Excellentissimo Dn. Frischmuthio, Professore LL. Orientalium celeberrimo,  
Præceptorum ac Promotorum nostro filiali observantia & honore prosequendo, per  
Literas significatum est, quam Editionem Eruditi diu multis votis expetiverunt.

§. 15. Ceterum sic Versionis Syriacæ Historiam à capite ad calcem usq; produ-  
ximus: Id tantùm adhuc restaret, ut peculiari rubrica utilitatē ejus præximiam,  
quam in intelligendo, explicando atq; ab Adversariorum detorsionibus vindi-  
cando sacro Codice luculenter præstat, exhiberemus, hincq; enascentē dignita-  
tem atq; præstantiam, quæ per Christum Salvatorem ejusq; Apostolos Syriacè lo-  
quentes non omninò leve incrementum accipit, fusius commendaremus: Id vero  
quominus nunc à nobis exequi possit, tempore maxime excludimur:  
quapropter alii occasione hæc reservantes, nunc tandem finimus.

ܐܘܢܝܢ ܕܥܘܠܡܝܢ ܕܡܫܝܚܝܢ ܕܥܘܠܡܝܢ ܕܡܫܝܚܝܢ ܕܥܘܠܡܝܢ  
ܕܡܫܝܚܝܢ ܕܥܘܠܡܝܢ ܕܡܫܝܚܝܢ ܕܥܘܠܡܝܢ ܕܡܫܝܚܝܢ ܕܥܘܠܡܝܢ

1077

ML



Q.K.  
411,  
7.


Handwritten text: *Handwritten*

VE  
N. T  
DISS

M. GEO  
CH

HE

public  
a



**KODAK Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color



Handwritten text: *Handwritten*

NE  
CA  
GICA,

n Soigt  
CUS,

der lith

subjiçant,  
LXX.

II.

